

non significamus negationem formaliter, sed fundamentum ejus, quod per negationem cujusdam claritatis explicatur, pertinere ad rationem formalem fidei. Sicut irrationale dicitur constituere brutum, quia differentia ejus constitutiva talis est, ut non attingat gradum rationalem, ita pariter revelatio fidei talis est, ut inducat intellectum ad assentiendum, non ostendendo evidenter rem creditam seu credendam (1).

Obj. 2.^o S. Paulus scribens ad Corinthios (2) docet fidem nostram esse *claritatem*; ergo non est dicenda obscura.

Resp. Explico, illud docet Apostolus absolute; neg. Relative ad legem veterem; conc. Loquitur enim de fide nostra respective ad notitiam, quam in lege mosaica judaei habebant de Deo, ad quorum velamen (l. c.) alludit.

Obj. 3.^o Motiva credibilitatis objectum fidei sufficienter proponunt, ut ei intellectus possit assentiri. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Ut possit assentiri solus; neg. Determinatus a pia affectione; conc. Ratio est quia intellectus in iis, quae obscure apparent, quaeque ipsum aliquam non cogunt evidentiâ, sed dubio saltem imprudenti locum relinquunt, eget determinari a voluntate, cujus est intellectum inclinare ad haec motiva prae aliis perpendenda, uni tandem parti prae altera adhaerere facere.

ARTICULUS IV.

De credibilitate et necessitate fidei.

THESIS XII.

Fides catholica est evidenter credibilis tum in se, tum comparative ad alias sectas, ac consequenter evidenter credenda.

83. **Nota.** I. Solent infideles, ajebat olim S. Basilius (3), quos hodie rationalistae, ut antiquitus Julianus apostata, imitantur, reprehendere christianos, eo quod sine ratione credant, vel ut ipsi putant contra rationem; qua de causa Paulus ad Corinthios ajebat (4): *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est. Praedicamus Christum crucifixum: judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Haeretici aliqui ad vitandam hanc reprehensionem in aliud extremum inciderunt, dicentes nihil esse credendum nisi quod ratione ostenditur.

(1) Suar. D. 3, sect. 7, n. 4.—(2) I.^a III, 18.—(3) In Ps. CXV.—(4) I.^a III, 18, 23.

Vera autem et catholica sententia mediam viam tenet; nam et levitatem animi et duritiem cordis reprobatur in credendo, docetque, quamvis non semper possimus propriam rationem dare earum rerum, quas credimus, posse nihilominus sufficientem reddere rationem, cur credamus, ut jam monuit primos christianos S. Petrus (1) his verbis: *parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe, seu fide in qua fundatur spes.* Ad hoc obtinendum facit evidens credibilitas revelationis factae, quam posse argumentis moraliter certis, imo evidenter constare alibi demonstratum est (2). Hic solum aliqua addemus quae hanc fidei nostrae qualitatem magis probent, et illa compleant.

II. Thesis praeter infideles et rationalistas ferit etiam: a) protestantes (3) volentes, privatam inspirationem seu illuminationem esse unicum medium cognoscendi fidem: b) eos recentiores, qui fidem repetunt ex quodam instinctu seu experientia interna, qua ad credendum impellimur. Thesis quatenus importat fidem catholicam esse credibilem per miracula saltem, est de fide; quatenus dicit evidenter, est ita certa, ut juxta Suarium nullus catholicus possit dubitare (4).

84. I.^a Pars. Prob. 1.^o Definitionibus et doctrinis concil. Vaticani: «Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis »credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; »anathema sit (5).» «Si quis dixerit,... miracula certo cognosci »nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem »rite probari; anathema sit (6).» Credibilitatis rationem ita exponit (7): «Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis »externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, »atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commostrent divinae »revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata... Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eoque »constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium »suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi »revelati, ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam »Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae

(1) I.^a III, 15.—(2) Vol. I, Disq. II, de Religione revel. Dico IX et X, nn. 45, 46.—(3) Vid. Bellarminum. De Verbo Dei, L. 3, c. 3.—(4) Suar. De fide, D. 4, sect. 2, n. 1, sect. 3, n. 1.—(5) Const. de fide, can. 3.—(6) Ibid. can. 4.—(7) Ibid. cap. 3.

»credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.
 »Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem
 »propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus
 »bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabi-
 »lilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibili-
 »tatis, et divinae sua legationis testimonium irrefragabile. Quo fit
 »ut ipsa veluti signum levatum in nationes (1), et ad se invitet
 »eos, qui nondum crediderunt, et filios suos certissimos faciat fir-
 »missimo niti fundamento fidem, quam profitentur... (2).»

2.^o Pluribus sacrae Scripturae testimoniis; in exemplum sint se-
 quentia: Davidis (3): *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*
 S. Joannis (4): *Vita manifestata est, et vidimus et testamur, et*
annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et appa-
ruit nobis. Arguentis Pauli (5): *Quomodo nos effugiemus (iram*
Dei) si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset
enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est,
contestante Deo, signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus
sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

3.^o Cum Patribus; S. Joannes Chrysost. (6): «Nullus
 »his (signis credibilitatis) contradixerit, nisi qui valde insanus et
 »totus stupidus sit.» S. Augustinus (7): «Quid ad haec re-
 »spondetis insani? nempe ista manifesta sunt; nempe omnes, non
 »dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis
 »expellunt.»

4.^o Fides catholica multis et miris tam miraculis quam prophe-
 tiis est confirmata (8). Sed non est possibile infinitam Dei boni-
 tatem et sapientissimam ejus providentiam permittere posse, ut tot
 ac tanta signa, quibus velle se fidei doctrinam testificari signifi-
 cavit (9): *Si mihi non vultis credere, operibus credite. Si opera non*
fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; solum
 inserviant ad errorem in nobis gignendum; confidenter enim cum
 Richardo a S. Victore (10) possemus dicere: «Domine si
 »error est, a te decepti sumus. Nam ista (fidei dogmata) in nobis
 »tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae non nisi
 »per te fieri potuerunt.»

85. II.^a Pars. Prob. 1.^o Concil. Vaticanum definivit (11): «Si
 »quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui
 »ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam

(1) Is ai. XI, 12.—(2) Vide etiam encyclicam: «*Qui pluribus*» Pii IX et Syl-
 labi propositiones a IV.^a ad VII.^{am}—(3) Ps. XCII¹, 5.—(4) I.^a Epist. I, 2.—
 (5) Hebr. II, 3.—(6) *Hemil. Quod Christus sit Deus.*—(7) *Contr. Faust.* L. 12,
 c. 43.—(8) Vol. I. Disq. II. De relig. revel. c. III.—(9) Joann. X, 38; XV, 24.—
 (10) *De Trinit.* L. I, c. 2.—(11) Const. de fide, can. 6.

»causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam
 »susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demon-
 »strationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absol-
 »verint, anathema sit.» Sed adesset dubitandi ratio si fides catho-
 lica non esset comparative ad alias sectas evidenter credibilis.
 Ergo... Idem deducitur ex iis, quae tradit capite III, supra n. 84
 prolata.

2.^o Ex sacra Scriptura et Patribus ut in prima parte; tantam
 enim tribuunt fidei nostrae evidentem credibilitatem, ut praedicent
 reos irae Dei, insanos et totos stupidos eos, qui fidem nostram
 tamquam veram agnoscere detrectent: sed tales non essent, si ali-
 qua alia secta et quae supponitur distincta revelatio esset vere pro-
 babilis: ergo juxta Scripturam et Patres fides nostra catholica
 etiam comparative, etc. Placet confirmare elegantissimis verbis
 S. Augustini rationem suae fidei reddentis (1): «Multa sunt
 »alia, quae in Ecclesiae catholicae gremio me justissime teneant.
 »Tenet consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas mira-
 »culis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet
 »ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurre-
 »ctionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum
 »successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen.
 »quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Eccle-
 »sia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici ve-
 »lint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conve-
 »niatur, nullus haeticorum vel basilicam suam vel domum audeat
 »ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani charissima
 »vincula recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia.
 »etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem, vel vitae meri-
 »tum, veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem,
 »ubi nihil horum est, quod me invitet ac teneat, sola personat ve-
 »ritatis pollicitatio (2).»

3.^o Veluti a priori: in prima parte ostendimus fidem catholicam
 ita esse credibilem, ut repugnet Providentiae divinae tam eviden-
 tem credibilitatem cadere in rem falsam: ergo non possunt propo-
 sitiones contrariae revelationi catholicae simul esse credibiles tan-
 ta vel simili credibilitate: ergo credibilitas verae fidei debet supe-
 rare quamenque aliam oppositae doctrinae, ut experimento com-
 probatur, siquidem nulla alia secta, motiva credibilitatis qualia
 sunt fidei catholicae ostendere pro se potest. *Conseq.* prima prob.
 Quia cum duae propositiones contrariae possint esse ambae falsae

(1) *Lib. contr. epist. fundam.* c. 4.—(2) Vid. V. I. Disq. II. Thes. XXIX.

non autem ambae verae, sequeretur Deum aequae testari verum et falsum, quod repugnat (1).

86. III.^a Pars. Prob. Est corollarium praecedentium; quia in divina fide quoties objectum proponitur sufficienter ut credibile tali fide, consequenter esse credendum secundum rectam rationem asserendum est. Homo enim tenetur secundum rectam rationem Deum colere; recta autem ratio dictat, propositis pluribus sectis seu viis ad felicitatem aeternam consequendam, et ad colendum Deum debito modo, illam esse sequendam, quae evidenter credibilior opparet, praesertim in negotio salutis, in quo omne morale periculum est vitandum (2).

Confirm. verbis Vaticani supra n. 84: «Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati, ab omnibus posset agnosci.» Quod cum ita factum esse videamus, finem imponam cum Augustino (3): «Quae tandem mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis brevitate permota, contra hujus auctoritatis lumen culmenque contendat? Quae disputationes, quae litterae quorumlibet philosophorum, quae leges quarumlibet civitatum, duobus praeceptis, ex quibus Christus dicit totam legem prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandae? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tamquam teipsum.*»

SCHOLION.

De certitudine iudicio credibilitatis necessaria.

87. Dico I. Ad actum fidei divinae prudenter imperandum praerequiritur iudicium certum de credibilitate et existentia revelationis, ita ut non sufficiat iudicium tantum probabile.

Ita probatum est ubi de Religione revelata (4); nunc addendum venit:

Dico II. Non praerequiritur tamen certitudo absoluta, sed sufficit respectiva.

Est communis theologorum sententia et prob. Nam homines ru-

(1) Suar. De fide D. 4, sect. 4, n. 1. Quomodo comparative ad singulas secta sit evidenter credibilis fides catholica explicatum est Vol. I. Disq. II. De Relig. revel. c. IV. Disq. III. De Eccles. Christi, c. III. — (2) Suar. De fide. D. 4, sect. 2, n. 7. — (3) Epist. 137, vid. V. I. Disq. II, n. 266. — (4) Disq. II, n. 54. Vol. I.

des et pueri non possunt habere certitudinem absolutam; non enim valent perpendere motiva credibilitatis, quae pro eis ad unam auctoritatem Parochi, parentum vel similium eos docentium reducuntur. Atqui nihilominus possunt et debent istius modi homines elicere actum fidei supernaturalem. Ergo... *Major* est experientiae quotidianae; minor ab omnibus conceditur et merito, secus enim pueri et rudes non possent salvari, cum fides supernaturalis sit de necessitate medii ad salutem.

Confirm. ex S. Augustino (1): «Ut omittam sincerissimam sapientiam ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt... caeteram turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.» Sed credendi simplicitas non ex alio motivo ducitur ad cognitionem existentiae revelationis quam ex auctoritate docentis vel praedicantis. Ergo...

88. Obj. 1.^o Evidens credibilitas rerum fidei est impossibilis. Ergo... *Antec.* probatur, mysteria fidei adeo superant rationem, ut interdum videatur necessarium prima principia, et alia, quae videntur evidenter negare. v. gr. in mysterio SS. Trinitatis. Sed quae ita prima principia subvertunt non possunt credibilia apparere. Ergo... *Confr.* Res fidei denominantur credibiles a fide per quam credi possunt. Sed non possunt denominari evidenter credibiles ab ipsa fide, quae non est evidens. Ergo repugnat res fidei esse evidenter credibiles.

Resp. Neg. *antec.* Ad probat. Dist. *min.* Non possunt fieri credibilia per media intrinseca; conc. Per extrinseca uti sunt motiva credibilitatis; neg. Ad confirm. dist. *maj.* Res fidei denominantur credibiles a fide formaliter; conc. Fundamentaliter, dispositive; neg. et concessa *minor.* neg. *conseq.* Dupliciter potest res seu objectum fidei denominari credibile et formaliter, et fundamentaliter seu dispositive; priori modo, quatenus res est attingibilis per ipsum fidei habitum, concedimus denominationem credibilitatis sumi ab ipsa fide; posteriori autem modo, quatenus rei meritum perpenditur, ut fide possit credi, negamus a fide sumi, sed a testimoniis et aliis conjecturis, quae concurrunt in re ut fidei adjudicanda decernatur.

Obj. 2.^o Non potest evidenter ostendi mysteria fidei esse possibilis, vel non esse impossibilia; aliter, faciliter ostenderetur etiam esse vera, illa praecipue, quae ad naturam Dei spectant. Ergo non possunt fieri evidenter credibilia. *Conseq.* prob. Ut aliquid sit credibile debet esse possibile; unde quod est evidenter impossibile est etiam evidenter incredibile. Ergo e converso ut res ostendatur evidenter credibilis oportet ut etiam ostendatur possibilis. Sed hoc est impossibile ex primo *antecedente.* Ergo...

Resp. Conc. *antec.* neg. *conseq.* Ad prob. neg. primam *antec.* partem et *conseq.* primum. Ratio est, quia latius patet credibile quam possibile; nam aliquid impossibile potest fieri credibile, quia credibilitas sumitur ex medio extrinseco et testimonio, quod potest cadere in rem impossibilem; et ideo ex negatione *evidenter possi-*

(1) L. *contr. epist. fundam.* c. 4.

bilis, non sequitur negatio *evidenter credibilis*; et quamvis in nostra fide nihil sit credibile quod non sit possibile, hoc tamen solum est certum, non autem evidens; et ideo ex *evidentia credibilitatis* non sequitur *possibilitatis evidentia*. Hinc ad defendenda mysteria fidei, per se loquendo satis est solvere rationes contrarias negative, i. e. negando aliquid, quod probari non potest, et evidenter ostendendo non probari, etiamsi non demonstratur esse falsum; ut quod una essentia non possit esse in tribus personis, vel aliquid simile.

Obj. 3.^o Infideles et haeretici non solum mysteria fidei, sed et prudentem eorum credibilitatem imprudenter negant. Sed negare non possent, si revera esset evidens, ut est v. gr. existentia Romae. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Negant ex defectu considerationis motivorum; conc. Ex eo quod motiva non sint capacia gignendi evidentiam innegabilem; neg. Et contradist. *min.* etc. Facile enim est avertentem a consideratione motivorum credibilitatis et vim eorum probativam non introspicere. Gentiles et haeretici si docti sint, ut plurimum voluntarie avertunt intellectum a consideratione signorum, victi nempe difficultate singula firmissime credendi et praesertim vivendi ad regulam fidei; alii interius quidem vident credibilitatem, sed ob fines temporales exterius negant: pueri autem et rudes haeretici saepe invincibiliter illam evidentiam ignorant, eo quod de illis signis nihil audiant, aut de sua secta nullam rationem dubitandi advertant (1).

THESIS XIII.

Fides actualis supernaturalis, et quidem stricte sumpta, et in re est adultis nondum justificatis ad salutem necessaria, eâ, quam dicunt, mediis necessitate.

89. Nota. I. Supponimus communem necessitatis mediis notionem, nempe illud tale dici sine quo, etiam inculpabiliter omisso v. g. baptismus in puero, non potest obtineri salus. Dicimus: a) adultis, quia parvulis sufficit habitualis per Baptismum aquae vel sanguinis obtenta; b) nondum justificatis, quia si quis justificatus per Baptismum, postea cum adolescit prius moriatur quam peccet mortaliter et occasionem habeat aut obligationem intelligat actu credendi, talis salvabitur absque fide actuali, quia cum supponatur non esse infectum peccato mortali, retinet gratiam eamque consequens jus ad gloriam.

II. Fides stricte et autonomastice dicta nititur divino testimonio; fides vero late dicta analogiam quamdam habens cum fide stricte

(1) Vid. Suar. De fide. D. 4, sect. 2, Wirceburgenses. De fide, nn. 88-94.

sumpta nititur quodam testimonio metaphorico creaturarum ostendentium Dei bonitatem, peccati turpitudinem, aut virtutis honestatem. Fidem istam late dictam, quae potius est scientia quam fides, non sufficere ad salutem, si sit mere naturalis omnes concedere et fateri debent: si vero sit supernaturalis i. e. ex auxilio divino, ut forte sufficientem eam proposuit Ripalda (1), qui ingeniose et erudite hujus sententiae argumenta evolvit; attamen post longam disputationem concludit (2): «Caeterum quia communis theologorum assensus, videtur intelligere testimonium illud Pauli: *Sine fide*, etc. et Trident. sess. 6, cap. 7 «sine fide nulli unquam, etc. »de necessitate strictae fidei in re exhibitae ad consequendam justificationem, dicendum est ex lege voluntaria Dei nunquam dari »auxilium saltem efficax ad dilectionem supernaturalem in Deum »absque praevia instructione fidei strictae.»

III. Thesis intellecta de necessitate fidei aliquo modo supernaturalis est doctrina catholica, et ut videtur de fide contra pelagianos asserentes hominem sine auxilio gratiae posse credere, et in lege naturae salvari potuisse sine notitia alicujus veritatis revelatae, iis accensendi sunt hodie rationalistae omnem revelationem abjicientes. Intellecta de fide stricte sumpta et in re est communis et omnino tenenda theologorum sententia.

90. I.^a Pars. Fides aliqua supernaturalis est necessaria. Prob. 1.^o Concilii. Vaticanum ait (3): «Hanc »vero fidem, quae humanae salutis initium est. Ecclesia catholica »profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam »rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter »auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest... Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad »filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa »contigit justificatio, nec ullus nisi in ea perseveraverit usque in »finem, vitam aeternam consequetur.» Ubi pronuntiatur carere salutis initio, non posse Deo placere, ad filiorum Dei consortium pervenire, justificari ac vitam aeternam consequi eum, qui fidem supernaturalem non habeat, ac proinde in adultis, de quibus est sermo, sine actu ejus. Idem colligitur ex Tridentino docente (4) homines disponi ad justificationem: «dum divina gratia adjuti, fidem »ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera »esse, quae divinitus revelata et promissa sunt... sine qua, ait (5), »nulli unquam contigit justificatio;» et definit (6): «Si quis dixe-

(1) De ente supern. D. 20.—(2) Ibid. n. 123.—(3) Const. de fide, cap. 3.—(4) Sess. 6, cap. 6.—(5) Ibid. cap. 7.—(6) Ibid. can. 3.

»rit, sine praeviente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus ad-
»jutorio, hominem credere... posse, sicut oportet, ut ei justificatio-
»nis gratia conferatur; anathema sit.» Huc faciunt etiam Arau-
sicanum II, can. V, Milevitanum, can. IV.

2.º Sac. Scripturà cum Paulo ad Hebraeos (1): *Sine fide autem impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ubi est sermo: a) de fide supernaturali, de illa nempe quae est (2) *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; b) de medii necessitate, nam *sine fide impossibile est placere Deo*; c) de actu ejus *credere enim oportet*, quod non nisi de actu proprie dici potest.

3.º Patres multi sunt pro hac veritate confirmanda (3), hic sufficientia verba symboli S. Athanasii: «Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem.» Et S. Augustini (4): «Sine fide nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa neque in hoc saeculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit aeternam.»

4.º Idem probant nomina, quae fidei a Patribus et Conciliis tribuuntur: fides enim dicitur a conciliis initium et fundamentum justitiae; a S. Ambrosio (5) radix; a S. Cyrillo Alex. (6) janua ad vitam. Sed sine initio non potest incipi, sine fundamento aedificari, sine radice fructificari, neque ad vitam ingredi nisi per januam. Ergo...

91. II.ª Pars. Est necessaria fides stricte sumpta. Prob. 1.º Ex propositione 23.ª damnata ab Innocentio XI: «Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.»

2.º Argumentis Scripturae, Conciliorum et Patrum pro prima parte, in quibus edicitur, fidem supernaturalem necessariam eam esse: «quae non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis,» objecto suo adhaeret, credens «vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt.» S. Paulus, ut ex contextu claret, de ea fide loquitur, quae est *argumentum non apparentium*, qua Abel, Henoc, Noe, Abraham et alii patriarchae adepti sunt justitiam et repromissiones. Atqui haec omnia non nisi fidei stricte sumptae accommodari possunt. Ergo fides requisita ad salutem, etc.

3.º Ratione theologica; assensus fidei salutaris est liber (7); sed assensus fidei latae est necessarius. Ergo...

(1) XI, 6.—(2) Ibid. v. 1.—(3) Vid. Valentian. D. 1. Q. 2, punct. 2.—(4) Serm. 38 de tempore.—(5) L. 2. De Cain et Abel.—(6) Lib. 4, in Joann.—(7) Thes. XI.

92. III.ª Pars. Et necessaria in re. Prob. 1.º Quia cum Apostolus hebraeos docet (1): *sine fide impossibile esse placere Deo*, exemplis confirmat patriarcharum, quibus certe actus fidei fuit in re necessarius. Christus D. magis necessariam voluit fidem quam Baptisma ad vitandam damnationem salutemque consequendam, ut patet ex ejus sententia (2): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur*; non enim causa erat addendi secundum membrum, si ejusdem necessitatis essent fides et Baptisma. Atqui Baptisma est necessarium in re vel in voto. Ergo fides est in re necessaria, ut non sufficiat tantum in voto.

2.º Ex prob. 4.º primae partis, nam nequit in alio haberi, quod est initium, fundamentum etc., ipsius rei acquirendae.

3.º Quia nullum est fundamentum sive in Scriptura, sive in Patribus et Conciliis ut asseramus de fidei necessitate quod de necessitate Baptismi tenemus; nam hunc suppleri charitate et martyrio docent, fidem vero suppleri nusquam tradunt.

4.º Quia non apparet in quo actu supernaturali aequali aut respectu fidei perfectiore possit contineri implicite et virtualiter fides salutaris; nam quando medium in re necessarium suppletur per votum, id votum in re ipsa adhibetur per alium actum, neque in hoc potest in infinitum procedi; ergo sistendum est in aliquo actu, qui ita sit necessarius in re, ut non possit per alium tamquam per votum suppleri. Sed talis actus est fidei actus adultum ad justificationem disponens per charitatem vel sacramentum obtinendam. Ergo... *Min.* prob. Quia actus fidei sub illo comprehendendo etiam actus tam intellectus quam voluntatis ad ipsum assensum praevios, est primus actus supernaturalis in ordine ad justificationem; nam alii actus ordinis naturalis licet ex gratia fierent, naturales essent et non nisi remote se haberent ad justificationem. Ergo non potest suppleri; ergo maxime sistendum in actu fidei (3).

93. Obj. 1.º Juxta Paulum (4) philosophi antiqui: *cum cognovissent Deum (naturaliter) non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt*; gentiles (5), *qui legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt*. Atqui juxta eundem Apostolum (6): *factores legis justificabuntur*. Ergo sola cognitio naturalis potest ad justificationem sufficere.

Resp. Explico sensum primi textus *maj.* *Non sicut Deum glorificaverunt*, etc. ut auctorem naturae; conc. Ut auctorem a quo per solos actus naturales jam accepissent dona supernaturalia; neg.

(1) XI, 6.—(2) Marc. XVI, 16.—(3) Suar. De fide, D. 12, sect. 2, n. 12.—(4) Rom. I, 21.—(5) Ibid. II, 14.—(6) Ibid. 13.

Sensus est potuisse gentiles honorare aliquo modo Deum verum et non idola; sed quia ita non fecerunt, impedimentum gratiae divinae posuerunt, et justissime Deus, tamquam non facientes quod in ipsis erat, deseruit.

De secundo textu est controversia inter S. Augustinum et alios Patres an sit intelligendus de gentibus conversis ut vult Augustinus (1), vel de gentibus adhuc infidelibus ut melius videntur alii sentire (2). Primo casu vox *naturaliter* non excludit auxilium gratiae et cognitionem fidei necessariam ad implendam legem modo salutari, sed solum excludit cognitionem legis scriptae, quam gentiles non habebant sicut judaei. Secundo casu non est sensus, gentiles fecisse omnia, quae sunt legis naturalis sed aliqua tantum; nam neque Paulus dixit omnia, nec plus quam aliqua requirebantur ad scopum Pauli, qui erat ostendere legem naturalem esse scriptam in cordibus hominum.

Min. explico: si sermo sit eo in loco de justitia apud Deum seu supernaturali, docet Paulus *factores legis justificabuntur* de his, qui totam legem observant spiritu et gratiâ fidei; conc. Tantum naturaliter; neg. Si vero sermo sit de rectitudine tantum naturali, tunc loquitur de necessitate observandi opere naturalem legem a Deo praescriptam, ut quis non ponat ex parte sua obicem gratiae Dei. Ita indicat verborum oppositio *auditores, factores. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (3); intellige remote et negative, non proxime et positive.

Obj. 2.º D. Thomas (4) de homine nutrito in sylvis et legem naturalem custodiente ait, Deum «per internam inspirationem» posse eum salvare, revelando ipsi ea quae sunt credenda: ergo juxta D. Thomam potest ad salutem sufficere inspiratio interna supernaturalis cognitionis Dei. Sed haec potest haberi revelatione tantum lata, si Deus sua gratiâ concurrat et cognitionem naturalem elevet. Ergo...

Resp. Dist. primam *conseq.* Potest sufficere inspiratio, quae nitatur fide stricte sumpta; conc. Tantum lata; neg. Solum vim inferendo contextui D. Thomae dici potest ipsum non loqui de fide stricta, cum expresse exigit ultra naturalem cognitionem inspirationem revelativam, quae suppleat missionem alicujus praedicatoris, si iste forte non mittatur. Subsumptam *min.* ex probatis in thesi et pro praesenti providentia, neg.

(1) De spir. et litt. L. 1, c. 27.—(2) Vid. Disq. IV, n. 49. Obj. 2.º—(3) Vid. Disq. IV, n. 89. Obj. 4.º, et conf. Suar. L. 1, de Gratia, c. 8, a. n. 13, Lugo. De fide, D. 12, nn. 35-37.—(4) De Verit. Q. 14, a. 2, ad 1.

Obj. 3.º S. Augustinus (1) ait: «Caelum et terra et omnia, quae in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut Te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.» Ergo sola fides lata poterat gentiles ad dilectionem Dei homines justificantem dispo- nere et adducere.

Resp. Cum distinctione, ut sint inexcusabiles propter demeritum gratiae ratione legis non servatae; conc. Eo quod potuerint adquirere justificationem sola legis naturalis observantiâ; neg. vel subdist. Negative; conc. Positive; neg. Ratio est, quia si gentiles diligenter Deum amore naturali redderent minus indigni illustratione supernaturali, et indirecte et negative removentes prohibens, fierent magis dispositi ad assentiendum gratiae et ad justificationem consequendam.

Obj. 4.º Cornelius centurio appellatur (2): *vir justus et timens Deum*, cum adhuc fide stricta carebat, ut constat ex eo, quod ab Angelo monitus fuit, ut Petrum quaereret ad fidem addiscendam.

Resp. Centurio carebat fide stricta Dei ut remuneratoris supernaturalis ordinis; neg. Fide explicita Incarnationis; conc. Alii respondent negando. Cornelium fuisse justum justitia supernaturali antequam a S. Petro instrueretur ad credendum, et contentundum solum fuisse justum justitia morali per observationem legis naturalis.

Obj. 5.º Incredibile apparet rusticos fideles, qui ex meditatione creaturarum in ardentem Dei amorem accenduntur, quin ullius revelationis memorentur, non elicere actum utilem et salutarem. Ergo idem dicendum de infidelibus; ergo sine fide stricta, etc.

Resp. Incredibile apparet, quia est moraliter impossibile, ut non prosiliant in summum Dei amorem virtualiter ex praehabita fidei cognitione; conc. Ex sola cognitione naturali; neg.

Obj. 6.º Potest aliquis cum gratia elicere actum perfectae charitatis ante fidem, sicut et potest elicere ante ipsam fidem, piam credendi affectionem. Sed in hoc casu homo justificabitur sine fide actuali. Ergo...

Resp. Neg. *maj.* Etenim Deus in praesenti providentia exigit ad justificationem charitatem non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam supernaturalem, quae in revelatione stricta fundatur, et ideo non dat gratiam ad charitatem nisi praecedente fidei actu; similitudo cum pia affectione non est ad rem, quia haec ipsa obscuritate et libertate fidei requiritur, ut intellectus objecto non evidenter firmissime tamen adhaereat.

(1) Confess. L. 10, c. 6.—(2) Act. X, 22.